

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

**SCHEMA CANONUM
DE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE
PER PROFESSIONEM
CONSILIORUM EVANGELICORUM**

(Reservatum)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

NOTIFICATIO

Prosequendo consultationem circa parata schemata novi Codicis Iuris Canonici, mittitur ad Episcopos, per Conferentias Episcopales, ad Dicasteria Curiae Romanae ceteraque Organa consultationis schema canonum « De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum », quo universa disciplina de his Institutis recognoscitur iuxta Decreta et spiritum Concilii Oecumenici Vaticani II, necnon iuxta « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant », a Synodo Episcoporum approbata.

Quae omnia tum in expositione motivorum quae schematis appارando praefuerunt, tum in ipsa parte dispositiva seu normativa perspicue prostant.


Consultatio fit iuxta normas a Praeside uniuscuiusque Organi consultivi statuendas.

Tempus utile ad responsiones huic Pontificiae Commissioni mittendas usque ad finem mensis decembris c. a. 1977 datur.

Romae, die 2 februarii 1977.



A handwritten signature in black ink, appearing to read "Card. Giacomo Pignedoli". The signature is fluid and cursive, with "Card." preceding "Giacomo" and "Pignedoli" written below it.



PRAENOTANDA

1. – Canonum Schema quod a Commissione Pontificia Codici Iuris Canonici recognoscendo sub hoc titulo proponitur tamquam lex generalis pro ordinatione vitae et activitatis Institutorum vitae consecratae eorumque sodalium a legislatione statuta pro Religiosis in Codice Iuris Canonici (cfr. Librum II, Part. II, Tit. IX-XVI, cann. 487-672) profunde et multiplicititer differt. Inter alia diversa sunt: principia directiva totius tractationis, ambitus et ordinatio systematica legislationis propositae necnon notae eius peculiares et generalis eius tenor.

Differentiae huiusmodi introducendae erant in novum Schema plura ob motiva quae absque nimia difficultate detegi possunt. Considerandum imprimis est quod legislatio codicialis religiosos respiciens maxima ex parte constituit normis iuris positivi humani seu ut dicitur iuris mere ecclesiastici. Tales normae, numquam undequaque perfectae, propensionem fortem includunt iacturam temporis subeundi propter earum limitationem et adjunctorum mutationem. Conditiones autem sociales, culturales et praesertim religiosae quae obtinebant tempore promulgationis Codicis Iuris Canonici non parum diversae sunt ab illis quae nunc in universo fere orbe obtinent.

2. – Patres quoque Concilii Oecumenici Vaticani II de vita consecrata per professionem consiliorum evangelicorum multiplici ratione in variis documentis locuti sunt (cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium*, Caput VI, nn. 43-47; Decr. *Perfectae caritatis*; Decr. *Christus Dominus*, nn. 33-35; etc.). Et quamquam iidem Patres loquuntur de « religiosis » et « de vita religiosa », clarum remanet eos non adhibere haec verba eodem sensu stricto quo a Legislatore usitata sunt in Codice Iuris Canonici et praesertim in Parte II Libri II (cfr. praecipue cann. 487-488). Abs dubio, in documentis conciliaribus per vocabulum « religiosi » intelligi debent non tantum sodales Institutorum religiosorum, ad normam can. 487, sed etiam sodales « societatum » sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis et sodales Institutorum saecularium (cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium*, Caput VI, n. 44; Decr. *Perfectae caritatis*, nn. 1 in fine, 11; Decr. *Christus Dominus*, n. 33). Innovatio haec a Patribus admissa nata est habere plures consequentias quae a legislatione recognita neque ignorari neque patvipendi possunt. Praeterea, Patres Concilii multa alia innovaverunt in campo mere disciplinari quae ad vitam et ad actionem apostolicam Institutorum vitae consecratae eorumque sodalium sese referunt, uti luculenter patet non tantum ex ipsis documentis supra citatis sed etiam ex Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* (6.8.1966) quo normae statuuntur ad exsequenda quaedam Decreta Concilii Vaticanii II et praesertim Decreti *Christus Dominus* et Decreti *Perfectae caritatis*.

3. – Legislatio insuper Codicis Iuris Canonici non paucas refert dispositiones seu ordinationes, quae hodie vel obsoletae apparent vel minus congruentes, mutatis exigentibus socio-culturalibus. Ideoque mutare aliquando etiam profundius oportet tales dispositiones et ordinationes minus convenientes ut sunt, inter alia, nimia ad particularia attentio in quibusdam materiis, modus concipiendi exemptionem et consequentiae iuridicae inde exortae, inaequalitas inter Instituta virorum et mulierum, etc.

Huiusmodi exempla et multa alia quae adiungi possunt, sufficienter demonstrant necessitatem vel saltem opportunitatem maximam alicuius profundioris recognitionis Partis II Libri II Codicis Iuris Canonici, cui titulus est: « De Religiosis ». Quapropter ius vigens profunde innovatum appetit in hoc Schemate secundum necessitates hodiernas vitae consecratae, cuius tamen elementa essentialia diligenter et religiose servata sunt et iam in primo canone sancita. Vita consecrata importat totalem dedicationem personae Deo summe dilecto pro bono Ecclesiae et humani generis universi. Huiusmodi dedicatio fit per professionem publicam trium consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae voto aut alio sacro ligamine, voto propria sua ratione assimilato, firmatorum quibus homo consecratus Christum pressius sequitur et nititur caritatis perfectionem adipisci in servitio Regni Dei (cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium*, n. 44). Immo, in eodem primo canone Schematis collecta inveniuntur, veluti in nuce, omnia illa elementa tam theologica quam canonica quae requiruntur et ample sufficiunt ad claram identificationem omnium Institutorum et sodalium vitae consecratae et ad nitidam distinctionem ab omnibus aliis, etiam similaribus. Ambitus igitur istius categoriae institutorum et sodalium iam ab hoc primo canone appetit perfecte determinatus et definitus absque ulla possibilitate confusionis et erroris. Quod parvi momenti non est, potissimum his temporibus quando nonnulli vitam consecratam per publicam professionem consiliorum evangelicorum aequiparare conantur vitae consecratae per meram baptismi receptionem.

PRINCIPIA DIRECTIVA RECOGNITIONIS ET PRAECIPUAE INNOVATIONES LEGISLATIVAE

4. – Sicut fuit apparens in *Communicationes*, Vol. II, 1970, pp. 168-181; Vol. V, 1973, pp. 47-69; Vol. VI, 1974, pp. 72-93; Vol. VII, 1975, pp. 63-92, visum est opportunum quaedam principia statuere quae labores Commissionis dirigant et iter percurrendum illuminent. Principia haec directiva assidue prae oculis habita sunt et efficaciter adiuvarunt ad scopum praefixum consequendum. Sufficiens illustratio horum principiorum inveniri potest in *Communicationes*, Vol. II, 1970, nn. 3, 7, pp. 170-176. Hic brevissime tantum dicta principia referuntur, quae quidem sese conformant ad « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant »

(cfr. *Communicationes*, Vol. I, 1969, pp. 77-85) a Pontifica Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo exarata et a Synodo Episcoporum anno 1967 approbata.

5. – En principia:

1) In recognitione huius partis iuris Ecclesiae, canones ita redigantur ut appareat normas iuridicas, etsi thesauros gratiae vitae consecratae nec plene continent nec multo minus exhaustant, fovere tamen donum Dei vocationis divinae, adiuvare gratiae opus in animabus Dei dicatis ut ad perfectionem caritatis pertingant easque custodire a periculis. Acceptatio huius principii directivi, quod per se evidens esse debet, imponebat ut vitaretur nimia ariditas in formulatione canonum, etsi iura et obligationes clare et praecise statui deberent. Idea etiam vitanda erat iuxta quam legislator magis sollicitus esset vel appareret circa aspectum externum vitae consecratae quam circa veram et realem sequelam Christi ex parte sodalium et communictatum. « Serio perpendendum est — declarant Patres Concilii — optimas accommodations (legum et statutorum) ... effectum non sortiri nisi animentur renovatione spirituali ... cui semper primae partes tribuendae sunt » (Decr. *Perfectae caritatis*, n. 2, e).

2) Canones qui disciplinam statuunt fovere debent agnitionem in quolibet Instituto spiritus Fundatoris eiusque conservationem; sodales Institutorum vitae consecratae adiuvare ad proprium patrimonium servandum, quod in propria ac peculiari indole, in propriis propositis et in sanis traditionibus consistit. Itaque, ius commune seu universale sancire debet dumtaxat principia generaliora quae omnibus Institutis faciliter applicari possunt quaeque congruam libertatem eis relinquant ut ad finem proprium efficaciter tendere possint. Ita, ex una parte, cavetur contra « livellationem », quae dicitur, Institutorum vitae consecratae propter normas iuris communis nimis particulares et minutus, et ex alia adiuvantur Instituta eorumque sodales ut per veram et accommodatam renovationem propriam identitatem et proprium spiritum iterum inveniant, si illa iam deperdiderint, vel ad illa servanda et roboranda. Hoc erit possibile si normae iuris universalis foveant, promoteant et extimulent in Institutis studium profundum eorum indolis, propositi, inspirationis et loci quem in Ecclesia Christi occupant. Instituta deinde gaudere debent congrua libertate ut haec omnia convenienter et opportune exprimantur in propriis constitutionibus seu statutis. Quod difficillimum evadit si normae iuris universalis ad minuta seu normas nimis particulares descendunt; sicut experientia docet.

3) Dum principia constitutiva vitae consecratae — statuit tertium principium directivum — clare indicari et firmiter sanciri debent, in normis disciplinaribus statuendis congrua flexibilitas in tuto ponatur, ut eae normae faciliter aptari possint diversis conditionibus et exigentiis Ecclesiae et ipsorum Institutorum. Principium hoc apparet tamquam logicum corollarium principii secundi. Tam in iure universalis quod Instituta et sodales vitae consecratae respicit quam in statutis

propriis cuiuslibet Instituti distinctio facienda est inter normas quae statuunt principia constitutiva vitae consecratae, etsi vitae Instituti applicatae, et normas mere disciplinaires. Illae sunt substantialiter perennes et mutari possunt tantum quoad externam exarationem seu expressionem. Ista, e contra, adaptari debent ad maximam varietatem Institutorum vitae consecratae, ad diversitatem indolis, finis, operum apostolicarum, etc. Insuper consideranda sunt diversissima adiuncta, temporis, spatii, culturae, gradus evolutionis socialis populorum, etc., in quibus sodales diversorum Institutorum, et etiam eiusdem Instituti, vitam agere et apostolicam missionem perficere obligantur. Nisi autem normae iuris communis sint vere generales, etsi disciplinares sint, et nisi statuta propria disciplinaria Institutorum vere flexibilia sint, vita et activitas Institutorum vitae consecratae fieret nimis dura et amitteret illam suavitatem quae confert quam maxime ad finem huius vitae aptius consequendum.

4) Principium directivum quartum respicit vitam internam Institutorum vitae consecratae et vult ut canones, quibus regimen et regiminis exercitium in Institutis ordinantur, ita redigantur ut principia a Concilio statuta de representatione et cooperatione sodalium efficaciter ad proxim deducantur, attentis tamen indole et spiritu cuiusque Instituti. Patres enim Concilii dixerant: « Capitula et consilia fideliter munus sibi commissum in regimine expleant atque suo quaque modo sodalium omnium pro bono totius communitatis participationem et curam exprimant » (*Decr. Perfectae caritatis*, n. 14). Quamquam lex communis statuere debeat participationem quantum possibile omnium sodalium in regimine Instituti et potissimum in decisionibus ferendis quae maioris sunt momenti vel quae omnium intersunt, tamen hic magna cum prudentia procedendum est ex parte legislatoris. Ipse non multa statuere potest in lege universalis quia formae participationis in regimine plurimae esse possunt et illa quae convenit uni Instituto potest alteri esse admodum inconveniens vel etiam nociva. Principium generale participationis et representationis in regimine a iure universalis statutum in statutis particularibus cuiuslibet Instituti applicationem practicam invenire debet secundum formam magis consonam, attentis indole, fine, missione et sanis traditionibus eiusdem Instituti. Ius tamen universale media saltem quaedam definire debet ad praecavendos et tollendos abusus magis generales in hac parte.

Praeter predicta principia directiva vitatur quoque in Schemate quaelibet disparitas tractationis non omnino necessaria ex natura rei vel ex peculiari quadam conditione inter Instituta vitae consecratae virorum et illa mulierum.

6. – Attenta comparatio principiorum de quibus in superiori numero cum Schemate canonum quod Instituta vitae consecratae respicit demonstrabit num labor bonum habuerit exitum. Licet omnes fere canones stricte iuridici vocari possint et debeant, ariditas formulationis quae etiam in canonibus Partis II Libri II « De Religiosis » faciliter percipitur amplius non cernitur. Habentur quidem sectores, uti v. gr. Titulus VII: « De separatione ab Instituto », in quibus, propter

materiae gravitatem, summa accuratio seu praecisio necessaria est ac proinde omnis ariditas vitari non potest.

Simili modo canones Schematis tenoris vere generalis sunt ita ut faciliter applicari possint vel omnibus Institutis generatim vel saltem universae categoriae Institutorum, secundum quod canon inveniatur in prima vel in secunda parte Schematis. Praesertim quoad terminologiam, necessarium fuit invenire — potissimum in prima parte Schematis — plures voces et expressiones diversas ab illis quae habebantur in Codice. Ipsa enim terminologia applicari debet non tantum Institutis religiosis sed etiam aliis duobus generibus Institutorum vitae consecratae. Quapropter sermo fit de *Instituto* et non de *Ordinibus, Congregationibus, Societatibus*, etc.; dicitur *Moderator* loco *Superior*, *cooptatio* loco *professio*, etc. Hoc tamen nullatenus significat singula Instituta retinere non posse in propriis Constitutionibus, Directoris, etc. illam propriam terminologiam quam hodie habent, et quidem multoties a saeculari traditione sancitam.

Flexibilitas huius propositae legislationis clare elucescit ex ampla applicatione secundi principii directivi quae necessario secum trahit amplam simulque prudentem applicationem principii subsidiarietatis. Hoc demonstratur imprimis ex frequenti delatione decisionis actus vel definitionis alicuius rei a canonibus huius Schematis facta normis Constitutionum vel statutorum particularium Institutorum vitae consecratae. Confert etiam flexibilitati huius legislationis notabilis reductio casum in quibus necessarium erit recurrere ad auctoritatem hierarchicam externam ad actum aliquem ponendum, sive auctoritas haec sit S. Sedes sive Ordinarius loci, salva semper necessaria dependentia ab Ecclesiae auctoritate, iuxta condicionem iuridicam, iuris nempe pontificii vel iuris tantum dioecesani, uniuscuiusque Instituti.

Ut dictum est supra, propter maximam varietatem Institutorum vitae consecratae et consequenter propter diversitatem exigentiarum horum Institutorum in canonibus huius Schematis non multa statui possunt quoad representationem et cooperationem omnium sodalium in regimine exercendo et in decisionibus ferendis. Hoc tamen non obstante, quaedam media proponuntur quibus Schema in tuto ponere intendit illam participationem in regimine et in decisionibus ferendis de qua Patres Concilii locuti sunt (cfr. Decr. *Perfectae caritatis*, nn. 3, 14). Canones in quibus de praefatis mediis fit sermo sunt sequentes: 26, 28 § 3, 29, 34, 35.

De absentia disparitatis non necessariae ex natura rei in modo tractandi Instituta virorum eorumque sodales et illa mulierum iam antea dictum est. Sed aliae praeterea distinctiones in Schemate vitantur: ex. gr. distinctio inter Instituta religiosa in quibus emittitur professio votorum sollempnium et illa in quibus emittitur professio votorum simplicium. In Schemate de hac distinctione nulla fit mentio quia canonice ambae profesiones aequiparantur.

Ita etiam iusta autonomia agnoscitur omnibus Institutis qua gaudeant propria disciplina atque integrum servare valeant suum patrimonium doctrinale, spirituale et liturgicum. In Institutis praeterea clericalibus iuris pontificii Institutorum Moderatores et Capitula potestate ecclesiastica regiminis pollent in proprios sodales pro foro tam externo quam interno.

DIVISIO GENERALIS SCHEMATICIS ET MATERIAE
QUAE SINGULIS IN PARTIBUS TRACTANTUR

7. – Structura generalis tractatus « de Religiosis » quae in Codice invenitur evidenter retineri non potest in hoc iure recognoscendo. Tam motiva, quae — ut dictum est supra — inducebant ad profundiorem recognitionem perficiendam, quam principia directiva laborum approbata simul cum mutatione ambitus propter formalem inclusionem Institutorum saecularium inter Instituta vitae consecratae suadebant, immo exigebant, ut alia via procederetur et ut alia divisio generalis totius Schematicis canonum adoptaretur. Non erat tamen facile excogitare aliam divisionem generalem quae posset bene respondere novis exigentiis et vitare difficultates quas divisio Codicis praeseferebat. Plura experimenta facta sunt quae exitum admodum felicem non habuerunt, sicut processus verbales sessionum studiorum demonstrare possunt. Definitio partium, titulorum et articulorum gradualis fuit et post longas disceptationes tandem ad formam definitam Consultores deve-nerunt.

Delineatio generalis Schematicis iuris recogniti « De Institutis vitae consecratae », simul cum his praenotandis ipsis canonibus Schematicis preeponetur et propterea non est cur eius articulata descriptio hic apponatur. Initio Schematicis ponuntur sex canones praeliminaires generales totius legislationis in quibus statuuntur elementa essentialia vitae consecratae, tam sub aspectu theologico quam sub aspectu iuri- dico. Quaedam etiam fundamentales determinations et divisiones Instituta vitae consecratae respicientes decernuntur. Canones isti, pro maiori parte, ex documentis Concilii Vaticani II desumuntur (cfr. potissimum Const. dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, nn. 43-45). Deinde totum Schema dividitur in duas partes. Prima, quae omnino tenoris generalis est, habet tamquam rubricam generalem: *De iis quae Institutis vitae consecratae sunt communia* et continet omnes canones et omnia praescripta quae communia sunt et aeque applicabilia cunctis Institutis vitae consecratae et eorum sodalibus, independenter a qualitate Instituti et a categoria ad quam Institutum pertinet.

8. – Pars haec subdividitur in septem titulos qui varios sectores vitae et activi- tatis Institutorum respiciunt, incipiendo ab erectione alicuius Instituti, ab eius divisione, foederatione vel fusione vel unione cum alio Instituto. Hic etiam, occa- sione arrepta, ponuntur praescripta circa suppressionem Instituti vel eius partis (cfr. Tit. I). Logice, immediate fit transitus ad normas quae definiunt dependen- tiam Institutorum et sodalium ab auctoritate ecclesiastica seu hierarchica. Et hic simul canones ponuntur qui principium statuit circa possibilitatem exemptionis Institutorum et sodalium a jurisdictione Ordinariorum loci quae concedi potest tantum a Summo Pontifice. Sed eodem tempore agnoscitur aequa et iusta autono- mia, praesertim in regimine interno, pro omnibus Institutis (cfr. Tit. II). In Titulo III est sermo, modo omnino generali, de regimine interno Institutorum.

Bona temporalia Institutorum sunt bona ecclesiastica et propterea reguntur normis statutis pro administratione bonorum ecclesiasticorum in Libro novi Codicis Iuris Canonici cui titulus « De Iure Patrimoniali Ecclesiae ». Consilium tamen paupertatis suum peculiarem effectum habet in bonorum administratione; septem canones ponuntur in Tit. IV circa hunc peculiarem aspectum administrationis bonorum Institutorum. Praescripta quae ordinant diversas phases admissionis candidatorum in Institutum Titulum V constituunt qui in quatuor dividitur articulos. De privilegiis Institutorum vel sodalium in Schemate non fit sermo. Abs dubio privilegia iam concessa non supprimuntur, nisi de hoc expresse caveatur. Tamen visum est inopportunum de privilegiis expresse in Schemate agere.

Obligationes quae Institutis et sodalibus imponuntur in Titulo VI illae sunt quae maxime consonae et aptae sunt indoli eorum et statui in quo inveniuntur. Ceterae obligationes magis particulares relictæ sunt ut statuantur in Constitutionibus singulorum Institutorum. Ibi enim melius adaptari possunt conditionibus et necessitatibus Institutorum et sodalium. Titulus VII finem ponit primæ parti Schematis. Ut patet ex eius rubrica hic singulis in articulis ponuntur normæ de variis modis legitimis, quibus sodales separari possunt ab Instituto vitae consecratae, sive sint adhuc in tempore probationis seu novitiatus, sive iam cooptati fuerint temporarie vel perpetuo. Separatio haec induere potest formam transitus sodalis ad aliud Institutum vitae consecratae vel voluntarii discessus seu egressus ab Instituto vel etiam dimissionis ab Instituto ob causas a iure admissas. Neminem latet quam impleta sit legislatio Codicis Iuris Canonici in hac re, potissimum quod attinet ad dimissionem religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali exempta (cfr. cann. 654 et seq). Re quidem vera, S. Congr. de Religiosis et Institutis Saecularibus die 2 martii 1974 Decretum edidit quo Religiones clericales exemptas dispensavit ab obligatione processum iudiciale instruendi pro dimissione sodalis a votis perpetuis et facultatem fecit Superioribus competentibus ut sequantur rationem procedendi in cann. 649-653 statutam. Canones propositi in hoc Titulo VII unicum et uniformem disciplinam statuunt pro omnibus Institutis vitae consecratae. Obligationes recurrenti ad S. Sedem vel ad Episcopum sublatae sunt praeterquam in casu egressus sodalis qui cooptationem perpetuam iam fecerat, nisi Supremus Moderator Instituti facultatem receperat a competenti auctoritate Ecclesiae dispensandi a votis vel aliis sacris ligaminibus perpetuo susceptis. In casu tamen dimissionis, sodali dimittendo dari debet plena facultas sese defendendi et contra decretum dimissionis sodali dimisso concedi debet facultas recurrenti ad S. Sedem intra decem dies cum effectu suspensivo. Quaelibet dimissio legitima secumfert ipso facto cessationem omnium vinculorum necnon iurium et obligationum ex cooptatione promanantia. Superiores competentes Institutorum mentionem facere debent de omnibus sodalibus ab Instituto quomodocumque separatis in relatione S. Sedi mittenda statutis ab eadem temporibus.


9. – Secunda pars Schematis, quae post longum studium praesentem assumpsit formam, in comparatione cum parte prima vocari potest *pars specialis*, quamquam normae in ea positae revera generales sunt. Rubrica huius partis suum propositum manifestat. Ita namque inscribitur: *De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria*. Scopus nempe istius partis est imprimis in luce ponere et inter se bene distinguere diversas formas consecrationis per professionem publicam trium consiliorum evangelicorum quas Ecclesia nunc officialiter agnoscit et approbat. Et hae consecrationes sunt tres. Prima est religiosa seu quae in Institutis religiosis fit, secunda invenitur in Institutis vitae apostolicae consociatae et tertia est propria Institutorum saecularium. Secundum diversitatem formae consecrationis resultat diversum genus supremum Institutorum vitae consecratae et sic in tribus Titulis quibus componitur haec secunda pars habetur vera typologia Institutorum.

Genus Institutorum religiosorum quod in se congregat numerosissima Instituta religiosorum duas magnas subdivisiones admittit, nempe Instituta monastica, sive monachorum sive monialium, sive contemplationi integre dedita sive quae aliqua opera apostolatus indoli propriae consentanea legitime assumpserunt, et Instituta religiosa ex propria vocatione operibus apostolatus dedita. Haec ultima Instituta sunt vel canonicalia, vel conventualia vel apostolica. Selectio appellationum, quibus inferiores categoriae Institutorum religiosorum quae vi propriae vocationis operibus apostolatus dedicantur, facta est post congruum examen naturae, finis, missionis et evolutionis historicae cuiuslibet categoriae.

Circa rubricam Tituli II huius partis quae definitive inscribitur *De Institutis vitae apostolicae consociatae* dicendum est huiusmodi appellationem naturam Institutorum quae sub hac rubrica veniunt melius exprimere quam alias adhibitas a Codice Iuris Canonici (cfr. rubricam Tituli XVII, Libri II, C.I.C.). Hae societas, quae vera Instituta organizata in Ecclesia sunt et quidem Instituta in quibus consilia evangelica aliquo sacro ligamine firmata assumuntur, naturam habent eminenter apostolicam et ab eorum Fundatoribus conditae sunt ut activitatem apostolicam ipsis propriam melius et efficacius exercere possint. Vita communaria suum certe habet momentum in his Institutis, sed naturam induit potius medii ad apostolatum directi quam elementi integralis vitae Instituti et sodalium sicut appareat inter religiosos.

Titulus III huius secundae partis agit de novissima forma vitae consecratae ab Ecclesia formaliter approbata per Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia*, die 2.2.1947 promulgatam. Forma vitae consecratae quae in his Institutis agitur non parum differt ab illa quae ducitur in Institutis religiosis et in Institutis vitae apostolicae consociatae. Sodales nempe Institutorum saecularium non obligantur ad vitam communem et non tenentur deferre habitum specificum vel aliquod signum quo ostendant suam consecrationem. Immo, externe, regulariter non distinguuntur a ceteris christifidelibus inter quos vivunt. Hoc tamen non obstante, Instituta saecularia « quamvis non sint instituta religiosa, veram tamen et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt » (Decr. *Perfectae caritatis*, n. 11; cfr. etiam Const. Apost.

Provida Mater Ecclesia, art. I-II). Peculiaris autem et propria indoles istorum Institutorum est *saecularis*, quae, praeter consecrationem in saeculo et vitam in eo ducendam, importat ut sodales apostolatum proprium, secundum determinacionem statutorum particularium, exerceant *in saeculo ac veluti ex saeculo et ut revera fermentum sint in mundo ad robur et incrementum Corporis Christi* (Decr. *Perfectae caritatis*, n. 11: cfr. Motu Proprio *Primo feliciter*, diei 12.3.1948, n. II).



CANONES PRAELIMINARES GENERALES

Canon 1

§ 1. Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata est stabilis vivendi forma qua fideles, Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter dedicantur, ut, in Eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur et, praecellarum in Ecclesia signum effecti, coelestem gloriam praenuntient.

§ 2. Quam vivendi formam in Institutis vitae consecratae, Spiritu Sancto afflante conditis et a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectis, libere assumunt christifideles, qui per vota aut alia sacra ligamina votis assimilata, iuxta proprias Institutorum leges, consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servanda profitentur et per caritatem, ad quam eadem ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniunguntur.

Canon 2

§ 1. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem pertinet et ideo ab omnibus in honore habendus est.

§ 2. Ad hunc vitae consecratae statum christifideles, sive clerici sive laici, specialiter a Deo vocantur ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quiske modo eiusdem missioni salvificae prosint.

Canon 3

Consilia evangelica in Christi Magistri doctrina et exemplis fundata, donum sunt divinum quod Ecclesia a Domino accepit et gratia eius semper conservat.

Canon 4

§ 1. Consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae vero profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest.

§ 2. Qui consilia evangelica profitentur, consecratione sua, neque ab hominibus alieni neque in civitate terrena inutiles fiunt, etsi quandoque coaetaneis suis directe non assistunt, cum eis tamen spiritualiter cooperantur, sive oratione sive sacrificio sive evangelicum nuntium diffundendo.

§ 3. Omnes vero, etiam qui hominibus alia generose praestant servitia, aedificationem terrenae quoque civitatis ad Dominum dirigentes, Christo testimonium reddunt, ut Pater coelestis in omnibus glorificetur.

Canon 5

§ 1. Institutum clericale dicitur quod, ratione finis seu propositi a Fundatore intenti vel vi legitimae traditionis, exercitium ordinis sacri assumit et uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur.

§ 2. Institutum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per formale decretum approbatum est; iuris dioecesani quod ab Episcopo dioecesano erectum, huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.

Canon 6

Quae de Institutorum vitae consecratae sodalibus statuuntur pari iure de utroque sexu valent, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

PARS PRIMA
DE IIS QUAE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE
SUNT COMMUNIA

TITULUS I
DE INSTITUTORUM EORUMQUE PARTIUM CONSTITUTIONE

Canon 7

§ 1. Episcopi dioecesani, Spiritus Sancti impulsus sequentes, in suo quisque territorio Instituta iuris dioecesani formali decreto erigere possunt, dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus a Sede Apostolica recognitus.

§ 2. In suo consensu dando circa erectionem novorum Institutorum, Conferentiae Episcoporum caveant ne in earum territorio multiplicantur Instituta quae fere eandem habeant naturam, finem et missionem.

§ 3. Si agatur de erectione Instituti alteri aggregandi, requiritur insuper praevius consensus Supremi Moderatoris Instituti aggregantis.

Canon 8

Dividere Institutum in partes, quocumque nomine veniant, novas partes erigere, erectas coniungere vel aliter circumscribere ad competentem Instituti auctoritatem pertinet iuxta determinationem Constitutionum.

Canon 9

§ 1. Instituti sedes vel coetus eriguntur vel constituuntur ab auctoritate competenti iuxta normas Constitutionum, dummodo, re adhuc integra, consensus Ordinarii loci in scriptis datus iam obtentus fuerit.

§ 2. Quae erectio vel constitutio fiant prae oculis habita utilitate pro Ecclesia et Instituto atque in tuto ponantur quae ad vitam consecratam sodalium rite agendam requiruntur iuxta proprios Instituti fines et spiritum.

Canon 10

§ 1. Consensus Ordinarii loci ad erigendam sedem Instituti secum fert facultatem:

1º) vitam ducendi secundum indolem propriam, fines specificos et media peculiaria Instituti;

2º) opera Instituto propria exercendi ad normam iuris, salvis conditionibus in consensu praestito appositis et acceptatis.

§ 2. Praeterea, pro Institutis clericalibus, facultatem habendi eccliam vel oratorium publicum, salvo praescripto can. (CIC 1162 § 4), et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis.

Canon 11

§ 1. Immutationes in Institutis vitae consecratae ea affidentes quae Sedi Apostolicae subiecta fuerunt absque eiusdem beneplacito fieri nequeunt.

§ 2. Ut alicuius Instituti sedes ad opera apostolica diversa ab illis pro quibus constituta est destinetur, requiritur consensus Ordinarii loci, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam dumtaxat referatur.

Canon 12

Foederaciones, fusiones et uniones Institutorum vitae consecratae uni Sedi Apostolicae reservantur.

Canon 13

§ 1. Suppressio cuiuslibet Instituti legitime erecti ad unam Sedem Apostolicam spectat, cui etiam reservatur de bonis statuere.

§ 2. Partes Instituti supprimere ad eiusdem Capitulum generale pertinet, secundum praescripta Constitutionum. Ei quoque reservatur de bonis partis suppressae statuere.

§ 3. Sedes Instituti supprimi potest a Supremo eiusdem Moderatore ad normam Constitutionum, re attente considerata cum Ordinario loci et ipso consentiente salvoque iure recursus ad Sedem Apostolicam. De bonis sedis suppressae provideant particularia statuta.

§ 4. In disponendo de bonis ex qualibet suppressione obvenientibus, serventur iustitiae leges et fundatorum vel offerentium voluntates.

TITULUS II

DE INSTITUTORUM DEPENDENTIA AB ECCLESIASTICA AUCTORITATE

Canon 14

Competentis Ecclesiae Auctoritatis est, duce Spiritu Sancto, consilia evangelica interpretari, eorumdem proxim legibus moderari atque stabiles inde vivendi formas canonica approbatione constituere necnon curare ut secundum spiritum fundatorum crescant et floreant.

Canon 15

§ 1. Instituta vitae consecratae, utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitium speciali modo dicata, Supremae eiusdem Ecclesiae Auctoritati peculiari ratione subduntur.

§ 2. Singuli sodales Summo Pontifici parere tenentur etiam ratione sacri vinculi oboedientiae.

Canon 16

§ 1. Singulis Institutis iusta autonomia vitae, praesertim regiminis, agnoscenda est qua gaudeant in Ecclesia propria disciplina atque inte-

grum servare valeant suum patrimonium doctrinale, spirituale et liturgicum.

§ 2. Apostolicae Sedis necnon Episcoporum est hanc autonomiam sancire et in tuto servare.

Canon 17

Quo melius Institutorum bono atque apostolatus necessitatibus provideatur, Summus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus intuitu utilitatis communis Instituta vitae consecratae, immo et eorumdem sodales, ab Ordinariorum loci iurisdictione eximere potest sibique soli vel alii ecclesiasticae auctoritati subiicere.

Canon 18

Institutorum sedes et sodales subduntur auctoritati Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris.

Canon 19

In regendis Institutis iuris dioecesani, utpote suae peculiari curae et vigilantiae concreditis, Episcopo dioecesano, salvo semper iure universalis, competit:

- 1º) codex praecipuus, de quo in can. 90 § 1 approbare;
- 2º) immutationes in eodem a Capitulo generali Instituti propositas, confirmare, salvis iis in quibus Apostolica Sedes manus iam apposuerit;
- 3º) dispensationes ab eiusdem codicis praescriptis legitime petitas singulis in casibus et per modum actus dare;
- 4º) visitare coetus Instituti eorumque sedes in suo territorio quoties visitationem pastoralem ibi peragit, necnon cum rationes vere peculiares suo iudicio id requirant;
- 5º) servata Instituti disciplina et de consensu competentis Moderatoris, sodales coetuum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere quae cum indole propria et fine specifico eiusdem Instituti congruant.

Canon 20

Cum Institutum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Episcopo dioecesano sedis principis competit:

1º) confirmare immutationes in codice praecipuo inductas, de quibus in can. 19, n. 2º, consultis singulis Episcopis in quorum dioecesis Institutum sedes vel coetus habet;

2º) dispensationes concedere de quibus in can. 19, n. 3º.

Canon 21

Ad transferendam sedem principem Instituti iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensu tam Episcopi dioecesis a qua translatio fit quam illius dioecesis ad quam sedes princeps transfertur.

Canon 22

§ 1. Instituta iuris pontificii immediate et exclusive potestati Sedis Apostolicae subiiciuntur in regimine interno et disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum Institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque Instituti propriae et servata eiusdem Instituti disciplina.

Canon 23

Episcopi dioecesani ius est et officium sedes Institutorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium cultus divini et ad opera externa apostolatus, tempore visitationis pastoralis et quoties graves causae id suadeant.

Canon 24

Episcopi dioecesani conventus promoveant cum Moderatoribus, praesertim maioribus, statim temporibus et quoties id opportunum videbitur, ut pro operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur, consiliis mutuo inter se collatis procedant.

TITULUS III DE INSTITUTORUM REGIMINE

Canon 25

§ 1. Institutorum Moderatores et Capitula in sodales sua gaudent potestate ad normam iuris universalis et Constitutionum; in Institutis autem clericalibus iuris pontificii pollent insuper potestate ecclesiastica regiminis pro foro tam externo quam interno, firmo tamen praescripto canonis...¹

§ 2. Moderatores omnes erga sodales ipsorum curae commissos suam adimpleant missionem suamque potestatem exerceant ad normam Constitutionum et iuris universalis.

§ 3. In Institutis exemptis ad normam can. 17, Moderatores pleniorum obtinent potestatis ecclesiasticae participationem et eiusdem liberum usum ad normam iuris universalis et Constitutionum exercendum.

Canon 26

Potestas qua singuli Moderatores praediti sunt ad decernendum et praecipendum quae agenda sunt eis a Deo conceditur non ut in subditos dominentur sed ut eis in Domino serviant ac ministrent, iuxta Christi exemplum et mandatum: « Qui maior est vestrum fiat minister vester » (*Matth. 20, 26*). Moderatores igitur, voluntati Dei in munere explendo dociles, ita suam auctoritatem exerceant ut caritatem qua Deus illos diligit exprimant. Subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes. Sodales eo perducant ut in muniberibus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur, libenter eos audiant necnon eorum conspirationem in bonum Instituti et Ecclesiae promoveant.

Canon 27

Ut sodales ad munus Moderatorum exercendum nominentur aut elegantur, requiritur congruum tempus, a Constitutionibus determinan-

¹ Canon iuris recogniti (*De Normis Generalibus*, can. 96) ad quem provocatur statuit a quibus personis et quibus limitibus potestas regiminis in Ecclesia exercenda sit.

dum, post cooptationem perpetuam vel definitivam in Instituto transactum.

Canon 28

§ 1. Supremus Instituti Moderator ad tempus definitum constituantur, nisi aliter ferant Constitutiones.

§ 2. Alii Moderatores ad certum temporis spatium constituantur, iuxta naturam et necessitates Instituti definitum, quo exacto confirmari possunt; in eodem tamen munere ultra novennium ne permaneant.

§ 3. Ad bonum totius Instituti, ad suavitatem regiminis et ad spiritualem ipsorum sodalium profectum, Constitutiones aptis normis provideant ne Moderatores, de quibus in § 2, diutius in regiminis officiis versentur; ita ut, peracta gubernationis periodo ab eisdem Constitutionibus definienda, Moderatoris officium nonnisi post aliquos annos denuo assumere valeant.

Canon 29

§ 1. Supremus Instituti Moderator electione canonica designetur ad normam Constitutionum.

§ 2. Alii Moderatores maiores ad normam Constitutionum designentur; ita tamen ut si elegantur, confirmatione Supremi Moderatoris semper indigeant; si vero nominentur, ampla et apta consultatio praecedat.

§ 3. Moderatores minores ad normam Constitutionum constituantur.

Canon 30

Sodales omnes, nihil praeter Deum et bonum Instituti prae oculis habentes, in omnibus electionibus normas iuris universalis et Constitutionum adamussim servent et eligere satagant quos in Domino vere dignos et magis idoneos pro officiis agnoscant, abstinentes a quovis abusu et potissimum a suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.

Canon 31

§ 1. Quo melius Institutorum communio cum Sede Apostolica fo-
veatur, statutis ab eadem temporibus, Supremus Moderator brevem con-
spectum status et vitae Instituti eidem Apostolicae Sedi mittat.

§ 2. Cuiuslibet Instituti Moderatores promoveant notitiam et ex-
ecutionem decretorum Sanctae Sedis quae sodales sibi concreditos re-
spiciunt.

Canon 32

§ 1. Moderatores Institutorum quos ad hoc munus Constitutiones
designant obligatione adstringuntur sedes, coetus et sodales sibi com-
missos visitandi iuxta normas ipsarum Constitutionum.

§ 2. Sodales cum visitatore fiducialiter agant, cui legitime interro-
ganti respondere tenentur secundum veritatem in caritate; nemini vero
fas est quoquo modo sodales ab hac obligatione avertere aut visitationis
scopum aliter impedire.

Canon 33

§ 1. Moderatores in sodales regendos ad normam Constitutionum
assidue incumbant suis officiis.

§ 2. Totis viribus current ut sodales sibi commissi Deum ante omnia
quaerant ac diligent, fraternalm inter se communionem colant, proximi
dilectionem in mundi salutem et Ecclesiae aedificationem promoveant
iuxta propriam vocationem in Christo quem, caritate impulsi, per praxim
consiliorum evangelicorum pressius sequuntur.

§ 3. Item nutriant sodales frequenti verbi Dei pabulo, ad sacrae
Liturgiae celebrationem adducant, in exercitio virtutum stimulent, in
observandis legibus et sanis traditionibus proprii Instituti verbo et
exemplo instruant, eorum necessitatibus personalibus convenienter sub-
veniant, infirmos sedulo current ac visitent, corripiant inquietos, conso-
lentur pusillanimes, patientes sint ad omnes.

Canon 34

Moderatores suum proprium et permanens habeant consilium ad normam Constitutionum constitutum, cuius opera in munere exercendo utantur oportet; in casibus autem a iure praescriptis eius consensum aut consilium exquirere tenentur.

Canon 35

§ 1. Capitula et consilia munus sibi commissum fideliter expleant ad normam iuris universalis et Constitutionum atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius Instituti vel coetus participationem et curam exprimant.

§ 2. In his participationis et consultationis formis instituendis servetur iusta discretio, ita ut, attentis uniuscuiusque Instituti indole et fine, apto efficacique regimini ab omnibus consulatur.

Canon 36

§ 1. Moderatores sodalibus omnibus debitam relinquant libertatem circa Paenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen, salva tamen Instituti disciplina.

§ 2. Subditorum confessiones Moderatores ne audiant nisi motu proprio ac sponte sua id petant sodales.

§ 3. Moderatores solliciti sint ad normam Constitutionum ut sodalibus idonei confessarii praesto sint apud quos regulariter confiteri possint, quin tamen ullus sodalis ad confitendum determinato sacerdoti invitus teneatur.

§ 4. Optandum est ut sodales cum fiducia adeant Moderatores, quibus etiam animum suum libere ac sponte aperire possunt.

TITULUS IV
DE INSTITUTORUM BONIS TEMPORALIBUS
EORUMQUE ADMINISTRATIONE

Canon 37

§ 1. Bona temporalia Institutorum vitae consecratae reguntur normis iuris patrimonialis universalis Ecclesiae, nisi aliud a iure expresse caveatur.

§ 2. Ob propriam indolem Institutorum, Constitutiones definire, coarctare vel excludere possunt capacitatem acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia.

Canon 38

Quodlibet Institutum normas aptas statuat de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem fovendam, tuendam et exprimendam.

Canon 39

Moderatores maiores et minores suum habeant oeconomum ad normam Constitutionum constitutum, qui, sub eorum auctoritate, administrationem bonorum gerat.

Canon 40

Constitutionum est, intra ambitum iuris universalis, determinare quinam actus excedant et modum ordinariae administrationis.

Canon 41

Tempore et modo statutis, administratores regesta exhibeant et rationem reddant peractae administrationis.

Canon 42

Ad validitatem alienationis, quae valorem a Conferentia Episcoporum definitum ad normam can. ...¹ excedat, consensus Apostolicae Sedis requiritur.

Can. 43

In testimonium caritatis et paupertatis, Instituta, praescriptis Constitutionum servatis, libenter pro viribus congruas elargitiones et elemosynas faciant.

TITULUS V
DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM

Canon 44

In vitae consecratae Institutum admitti potest quilibet catholicus, qui, vocatione divina praeditus a legitima auctoritate comprobata et congruenter praeparatus, qualitates habeat a iure universalis et Constitutionibus requisitas.

Articulus 1
DE REQUISITIS AD CANDIDATOS RECIPIENDOS

Canon 45

Ius admittendi candidatos in Institutum pertinet ad Moderatores maiores ad normam Constitutionum.

Canon 46

Moderatores, memores propriae responsabilitatis erga Institutum et Ecclesiam, vigilanti cura eos tantum admittant qui, praeter aetatem

¹ Canon schematis de iure patrimoniali Ecclesiae ad quem remittitur sic sonat: «Si agatur de rebus quarum valor summam a Conferentia Episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, consensus loci Ordinarii prius confirmari debet a commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia constituta» (can. 34 § 2 schematis de iure patrimoniali Ecclesiae).

requisitam, valetudinem, aptam indolem et sufficientes maturitatis qualitates praebant necessarias ad vitam Instituti propriam ineundam; quae valetudo, indoles et maturitas comprobentur adhibitis etiam, si opus fuerit, peritis.

Canon 47

Invalide in Institutum admittitur:

- 1º) qui decimum septimum aetatis annum nondum compleverit;
- 2º) coniux, durante matrimonio;
- 3º) qui vinculo cooptationis cum aliquo Instituto vitae consecratae actu obstringitur;
- 4º) qui occultaverit: *a)* suam admissionem in aliquo Instituto vitae consecratae; *b)* se gravi aere alieno gravatum esse; *c)* se obnoxium esse reddendae rationi iudici vel alii auctoritati legitime inquirenti.

Canon 48

Constitutiones possunt alia impedimenta ad validitatem admissionis constituere vel conditiones apponere.

Canon 49

§ 1. Candidati, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis necnon attestatum status liberi.

§ 2. Moderatores in Institutum ne admittant neophitos vel eos qui ad plenam communionem cum Ecclesia catholica venerunt, antequam eorum constantia comprobata fuerit.

§ 3. Constitutiones, pro diversitate adiunctorum, exigere possunt alia testimonia ex quibus constet de requisita idoneitate candidatorum et de eorum immunitate ab impedimentis iuris universalis et ipsarum Constitutionum.

§ 4. Moderatores informationes etiam secretas petere possunt, si eis ad hunc finem necessarium vel opportunum visum fuerit.

Articulus 2
DE NUPER RECEPTORUM INSTITUTIONE

Canon 50

Probationis canonicae tempus seu novitiatus, quo vita in Instituto incipitur, ad hoc ordinatur ut sodales nuper recepti seu novitii vocacionem divinam, et quidem Instituti propriam, pressius agnoscant, vivendi modum Instituti experiantur, mente et corde eius spiritu informentur atque ipsorum propositum et idoneitas comprobentur.

Canon 51

Probationis canonicae constitutio necnon sedium pro ea erectio, translatio et suppressio fiant per decretum scripto datum Supremi Moderatoris Instituti de consensu sui consilii.

Canon 52

§ 1. Constitutiones, praeter alias conditiones quas apponere possunt, definiant requisita ad validitatem quoad tempus probationis canonicae, dummodo eiusdem duratio unum saltem annum continuum complectatur.

§ 2. Scopus autem probationis canonicae exigit ut sub constanti directione magistri peragatur iuxta rationem institutionis naturae et fini cuiusque Instituti adaptatam a Constitutionibus definiendam.

Canon 53

§ 1. Probationis canonicae magister sit sodalis in Institutum definitive cooptatus et legitime designatus iuxta requisita Constitutionum.

§ 2. Probationis canonicae moderamen, sub auctoritate Moderatorum maiorum, uni magistro reservatur.

§ 3. Magistro, si opus fuerit, cooperatores dari possunt qui in om-

nibus ei subsint quoad moderamen probationis canonicae et institutionis rationem.

Canon 54

§ 1. Institutioni sodalium nuper receptorum praeficiantur sodales apte selecti et sedulo praeparati qui aliis oneribus non impediti opus gravissimum pro bono totius Instituti et Ecclesiae fructuose et stabili modo absolvere possint.

§ 2. Magistri eiusque cooperatorum est sodalium nuper receptorum vocationem discernere atque eos gradatim ad vitam perfectionis Instituti propriam rite ducendam efformare iuxta normas Constitutionum.

§ 3. Sodales nuper recepti a magistro eiusque cooperatoribus ad virtutes humanas et christianas excolendas adducantur; per humilitatem cordis, caritatis ardorem et suiipsius abnegationem in pleniorum perfectionis viam introducantur; in vitae interioris principiis applicandis informantur; ad mysterium salutis contemplandum et Sacras Scripturas legendas et meditandas instruantur; in ratione vitae Deo hominibusque in Christo per consilia evangelica consecrata instituantur; Instituti indolem, finem, spiritualitatem, disciplinam atque historiam edoceantur et in vitae modo eiusdem Instituti proprio exerceantur.

§ 4. Sodales nuper recepti, propriae responsabilitatis consci, ita cum magistro suo active collaborent ut gratiae divinae vocationis fideliter respondeant.

§ 5. Curent Instituti sodales ut in opere institutionis sodalium nuper receptorum pro parte sua cooperentur vitae exemplo et oratione.

Canon 55

In Institutis quae plures habent sodalium classes, tempus probationis canonicae pro una classe peractus valet pro altera, nisi Constitutiones aliud caveant.

Canon 56

§ 1. Sodalis nuper receptus, collatis prudenter consiliis, potest Institutum libere deserere; auctoritas autem competens Instituti potest eum dimittere, servatis Constitutionibus.

§ 2. Exacto probationis canonicae tempore, si idoneus iudicetur, sodalis nuper receptus in Institutum cooptetur, secus dimitatur vel, si dubium supersit de eius idoneitate, potest a competenti auctoritate Instituti probationis tempus protogari ad normam Constitutionum, non tamen ultra sex menses.

Articulus 3

DE COOPTATIONE IN INSTITUTUM

Canon 57

§ 1. Nemo in Institutum cooptetur nisi modo a Constitutionibus praescripto.

§ 2. Cooptatio secumfert obligationes et iura definita in statutis propriis sub legitima auctoritate servandis.

§ 3. Cooptatione vero Institutum novo titulo curam assumit sodalem in suum finem perducendi iuxta statuta.

Canon 58

§ 1. Cooptatio, exacto tempore probationis canonicae, illico ad tempus definitum fiat quod nec triennio brevius nec novennio longius sit.

§ 2. Temporaria cooptatione sodales tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae observanda publice assumunt, sive voto sive alio sacro ligamine firmata.

§ 3. Constitutiones tamen permittere possunt ut temporaria cooptatione sodalis, loco votorum vel sacrorum ligaminum, Instituto adstrinatur alias generis vinculo, cuius natura et vis ab eisdem Constitutionibus adamussim definiatur. Semper tamen sodalis ita cooptatus vitam ducere tenetur iuxta Instituti normas sub auctoritate legitimii Moderatoris.

Canon 59

Ad validitatem cooptationis temporariae, praeter conditiones a Constitutionibus appositas, requiritur:

- 1º) decimus saltem octavus aetatis annus completus;
- 2º) probationis canonicae tempus ad normam iuris peractum;
- 3º) iudicium de idoneitate iuxta requisita Constitutionum effor-
matum;
- 4º) admissio a competenti Moderatore facta.

Canon 60

§ 1. Temporariae cooptationis periodo expleta, qui sponte petat et idoneus iudicetur ad cooptationem definitivam admittatur; secus discedat aut dimittatur, firmo tamen in hoc ultimo casu praescripto can. 81.

§ 2. Si vero opportunum videatur vel sodalis id sponte petat, periodus cooptationis temporariae a competenti Moderatore prorogari potest, non tamen ultra triennium, salvo semper praescripto can. 58, § 1.

Canon 61

Per cooptationem definitivam sodales sacro vinculo natura sua per-
petuo vitam Deo consecrant et Instituto plene aggregantur.

Canon 62

Ad validitatem cooptationis definitivae, praeter conditiones a Constitu-
tionibus appositas, requiritur:

- 1º) vigesimus primus saltem aetatis annus completus;
- 2º) praevia cooptatio ad normam can. 58 peracta;
- 3º) iudicium de idoneitate iuxta requisita Constitutionum effor-
matum;
- 4º) admissio a competenti Moderatore facta.

Canon 63

Cooptati rationem vivendi Instituto propriam, de qua in can. 71, ut
legem suae vitae et disciplinae assumunt.

Articulus 4
DE COOPTATORUM INSTITUTIONE

Canon 64

§ 1. In singulis Institutis, post primam cooptationem, sodalium institutio perficiatur ad vitam Instituti propriam plenius ducendam et ad eius missionem aptius prosequendam.

§ 2. Quapropter, Constitutiones definire debent huiusmodi institutionis durationem et rationem, attentis Ecclesiae necessitatibus atque hominum temporumque conditionibus prout a fine et indole Instituti exigitur.

§ 3. Hoc tempore sodalibus officia et munera ne committantur quae eorumdem institutionem impediunt.

Canon 65

§ 1. Institutio, sub ductu peritorum consequenda atque capacitati sodalium accommodata, sit doctrinalis simul ac practica iuxta exigentias Instituti, titulis etiam congruentibus pro opportunitate obtentis.

§ 2. Institutio sodalium qui ad ordines destinantur regitur propria Instituti ratione studiorum et iure universali.

Canon 66

Per totam vitam sodales culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo prosequi intendant et Moderatores, pro posse, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

TITULUS VI
DE INSTITUTORUM EORUMQUE SODALIUM OBLIGATIONIBUS

Canon 67

Praecipuum cuiusvis Instituti officium est suam in Christo et in Ecclesia vocationem agnoscere, indolem suam peculiarem iuxta Funda-

torum spiritum fideliter servare propriaque proposita, attentis temporum conditionibus, sedulo prosequi.

Canon 68

Sodales mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse, adeo ut, magis magisque ab iis quae caritatis fervorem minuere possunt liberati, Deo eiusque regno solum vivere teneantur.

Canon 69

Sodales Christi sequelam in Evangelio propositam tamquam supremam vitae regulam habeant.

Can. 70

Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque Instituti vocationem. Sollicite igitur attendant ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret.

Canon 71

§ 1. Quocumque Institutum, attentis natura et indole propriis, modum quo consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servari debent, in propria vivendi ratione Constitutionibus definit.

§ 2. Sodales vero omnes debent non solum consilia evangelica fideliter integreque servare sed etiam secundum propria statuta vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

Canon 72

§ 1. Rerum divinarum contemplatio et assiduum cum Deo commercium sodalibus servitio Dei et Ecclesiae consecratis veluti cibus cotidianus esto.

§ 2. Sedulo igitur sodales divinarum Scripturarum lectioni vacent, sacrae Liturgiae celebrationem participant, orationem sive mentalem sive vocalem colant, annua sacri recessus tempora necnon alia exercitia spiritualia servent, ad normam Constitutionum.

Canon 73

§ 1. Sodalibus enixe commendatur ut cotidie Sacrificio Eucharistico participant iuxta suam cuiusque conditionem, Sanctissimum Corpus Christi recipientes.

§ 2. Ad Paenitentiae sacramentum frequenter accedant iuxta normas Constitutionum et consilia proprii moderatoris spiritus.

§ 3. Aliis insuper mediis, supernaturalibus et naturalibus, ad vitam spiritualem fovendam aptis utantur sodales tam communibus quam Instituto propriis; potissimum vero conscientiam suam discutiant, Sanctissimum Sacramentum visitent et Deiparam Virginem, etiam mariano rosario, colant.

Canon 74

Sodales fraterna communione, in caritate radicata et fundata, aliis exemplo sint universalis in Christo reconciliationis; pariter in modo sese gerendi mansuetudinem et modestiam Christi commonstrent.

TITULUS VII

DE SEPARATIONE AB INSTITUTO

Articulus 1

DE TRANSITU AD ALIUD INSTITUTUM

Canon 75

§ 1. Sodalis nequit a proprio ad aliud Institutum vitae consecratae transire nisi de consensu Supremi Moderatoris utriusque Instituti cum suffragio deliberativo sui cuiusque consilii.

§ 2. Constitutiones autem definiant probationis tempus et modum,

qua probatione peracta sodalis ad novam cooptationem admitti potest ad normam Constitutionum.

§ 3. Qui momento transitus definitive cooptatus erat, post peractam probationem definitive cooptetur in novo Instituto; qui vero non erat definitive cooptatus temporaria assumat vincula saltem per triennium duratura.

Canon 76

§ 1. Usque ad novam cooptationem, manentibus sacris ligaminibus, iura et obligationes particulares quae sodalis in priori Instituto habebat, suspensa manent; ab incopta tamen probatione sodalis statutis novi Instituti tenetur.

§ 2. Si ad cooptationem non admittatur vel ipsem eam renuat, sodalis ad pristinum Institutum redire tenetur, nisi dispensationem a ligaminibus obtinuerit aut praecedentis cooptationis tempus iam expiraverit.

§ 3. Per cooptationem sodalis novo Instituto incorporatur, cessantibus sacris ligaminibus, iuribus et obligationibus praecedentibus.

Articulus 2

DE EGRESSU AB INSTITUTO

Canon 77

Supremus Instituti Moderator, auditio consilio, gravi de causa, sodali definitive cooptato concedere potest, non tamen ultra triennium, ut ipse, firmis sacris ligaminibus, vitam agat extra Institutum exoneratus ab obligationibus quae cum sua nova vitae conditione componi non possunt. Sodalis huiusmodi sub cura suorum Moderatorum manet; caret tamen voce activa et passiva.

Canon 78

§ 1. Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, illud derelinquere potest.

§ 2. Qui, perdurante cooptatione temporaria, gravi de causa, Institutum derelinquere petit, a Supremo Moderatori de consensu sui consilii consequi potest indultum definitive ab Instituto discedendi.

Canon 79

§ 1. Sodalis definitive cooptatus indultum discedendi ab Instituto ne petat nisi ob gravissimas causas coram Domino perpensas; petitionem suam deferat Supremo Institutum Moderatori, qui eam una cum voto sui consilii Auctoritati competenti transmittat.

§ 2. Nisi peculiaris facultas Supremo Institutum Moderatori concessa fuerit, dispensatio a votis vel aliis sacris ligaminibus perpetuo susceptis in Institutis iuris pontificii soli Sanctae Sedi reservatur. In Institutis vero iuris dioecesani etiam Episcopo dioecesano.

§ 3. Indulta discedendi ab Instituto, in scriptis a sodalibus acceptata, secumferunt ipso iure solutionem a votis vel aliis sacris ligaminibus necnon ab omnibus obligationibus e cooptatione ortis.

Canon 80

§ 1. Sodalis, qui a praescripta communione cum Instituto necnon a potestate Moderatorum sese subducit, sollicite ab eisdem Moderatoribus quaeratur et adiuvetur ut in sua vocatione perseveret.

§ 2. Quod si intra tempus a Constitutionibus praescriptum, numquam trimestre brevius, duae monitiones canonicae in cassum cesserint aut sodalis non redierit, decreto Supremi Moderatoris de consensu sui consilii ab Instituto dimittatur.

Articulus 3

DE DIMISSIONE AB INSTITUTO

Canon 81

§ 1. Sodalis, expleta cooptatione temporaria, si adsint iustae ac rationabiles causae sive ex parte Instituti sive ex parte candidati, a competenti Moderatore dimitti potest.

§ 2. Etiam infirmitas physica vel mentalis, etsi post cooptationem contracta, propter quam iuxta peritorum iudicium sodalis de quo in § 1

non idoneus ad vitam in Instituto ducendam absque damno proprio vel eiusdem Instituti comperiatur, iustum constituit causam eum dimittendi, servata semper caritate et aequitate.

Canon 82

§ 1. Sodales temporarie cooptati dimitti possunt a Supremo Instituti Moderatore de consensu sui consilii.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1, praeter alias conditiones a Constitutionibus forte statutas, requiritur ut:

1º) causae dimissionis, sive ex parte Instituti sive ex parte sodalis, sint graves, etsi non necessario culpabiles;

2º) si causa sit culpabilis, monitiones scriptae factae fuerint et inutiles evaserint;

3º) dimissio non fiat ob infirmam valetudinem, nisi ante cooptationem dolose celata fuerit, vel de peritorum sententia urgeat necessitas dimissionis ad damnum sodalis vel Instituti vitandum.

§ 3. Causae dimissionis sodali manifestari debent in scriptis, data eidem plena libertate respondendi. Responsio sodalis, quae pariter in scriptis redigi debet, Supremo Moderatori eiusque consilio submittenda est.

Canon 83

§ 1. Definitive cooptati dimitti possunt decreto Supremi Moderatoris cum consensu sui consilii, quod in hoc casu quinque saltem membris ad validitatem constare debet, ita ut deficientibus vel absentibus ordinariis consiliariis alii ad normam Constitutionum advocentur; suffragatio autem secreto fieri debet.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1, praeter alias conditiones in Constitutionibus forte statutas, requiritur ut:

1º) causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae;

2º) dimissioni praecesserint, cum formalí comminatione subsequutae dimissionis, duae monitiones canonicae quae in cassum cesserint;

3º) causae dimissionis sodali manifestatae fuerint, data eidem, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi;

4º) tempus utile a Constitutionibus statutum ab ultima monitione elapsum fuerit.

§ 3. Responsiones sodalis, scripto exaratae, allegantur actis quae Supremi Moderatoris eiusque consilii examini submittenda sunt.

Canon 84

Supremus Moderator de consensu sui consilii statim dimittere potest sodalem qui:

1º) apostasiam, haeresim, schisma publice professus fuerit;

2º) matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit vel attentaverit;

3º) culpabiliter causa sit imminentis et gravissimi vel exterioris scandali vel erga Institutum damni.

Canon 85

§ 1. Decretum dimissionis ad normam canonum 82, 83, 84 datum quamprimum sodali cuius interest communicetur, data eidem facultate recurrendi intra decem dies ad S. Sedem cum effectu suspensivo.

§ 2. Legitima dimissione ipso facto cessant omnia vincula necnon iura et obligationes ex cooptatione promanantia.

Articulus 4

DE CONDITIONE IURIDICA SEPARATORUM AB INSTITUTO

Canon 86

Sodalis in sacris constitutus, e proprio Instituto legitime egressus vel ab eo dimissus, a divinis suspensus manet donec a suo vel ab alio Episcopo dioecesano incardinationem obtineat, aut saltem ab eodem ad ministerium sacrum exercendum ad tempus admittatur.

Canon 87

Institutum aequitatem et evangelicam caritatem servet erga sodalem
qui ab eo separatur necnon congruentem sollicitudinem adhibeat.

Canon 88

De sodalibus qui ab Instituto sunt quomodocumque separati fiat
mentio in relatione Sedi Apostolicae mittenda, de qua in can. 31, § 1.

PARS SECUNDA
DE IIS QUAE SINGULIS INSTITUTORUM GENERIBUS
SUNT PROPRIA

CANONES PRAELIMINARES

Canon 89

§ 1. Per multa in Ecclesia sunt Instituta vitae consecratae variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim pressius sequuntur vel orantem, vel actuosa operositate hominibus benefacientem, vel cum eis in saeculo conversantem.

§ 2. Fundatorum igitur mens atque proposita circa naturam, finem et indolem Instituti, necnon eius sanae traditiones, ab omnibus servanda sunt.

Canon 90

§ 1. Elementa de quibus in § 2 canonis praecedentis et normae iuridicae fundamentales circa Instituti et sodalium disciplinam, regimen membrorumque cooptationem atque institutionem et obiectum sacrorum ligaminum proprium, in cuiusvis Instituti codice praecipuo, quocumque nomine veniat, statuendae sunt. Huiusmodi codex praecipuus a competenti Ecclesiae Auctoritate approbandus est, et absque eiusdem beneplacito mutari nequit.

§ 2. Ceterae normae ad Instituti vitam pertinentes a competenti eiusdem Instituti Auctoritate statuantur et apte colligantur, quae tamen iuxta Constitutiones congrue recognosci et aptari possunt.

Canon 91

In his textibus redigendis spiritualia et iuridica opportune uniantur; normae tamen absque necessitate ne multiplicentur.

Canon 92

§ 1. Praeter haec vitae consecratae Instituta Ecclesia agnoscit vitam eremiticam seu anachoreticam, qua christifideles arctiore a mundo secessu, solitudinis silentio, assidua prece et paenitentia, suam in laudem Dei et mundi salutem vitam consecrant.

§ 2. Eremita uti religiosus iure recognoscitur si tria evangelica consilia, voto firmata, profiteatur et propriam vitae rationem sub ductu Ordinarii loci aut competentis moderatoris religiosi habeat et servet.

TITULUS I
DE INSTITUTIS RELIGIOSIS

Canon 93

§ 1. In quolibet Instituto religioso tria evangelica consilia in professione saltem definitiva a sodalibus assumi debent, voto publico firmata, et vita fraterna in communi peragenda est ad normam Constitutionum.

§ 2. Testimonium publicum ab his Institutis Christo et Ecclesiae reddendum illam secumfert a mundo separationem indoli et fini cuiusque Instituti propriam necnon habitum a Constitutionibus praescriptum qua signum consecrationis vitae.

Canon 94

Castitatis propter Regnum coelorum professio secumfert coelibatus simul ac continentiae perfectae observantiam qua caritas erga Deum et universos homines magis accendatur et manifestetur.

Canon 95

§ 1. Paupertatis propter Christi sequelam professio, praeter vitam in labore et omnimoda sobrietate ducendam, secumfert plenam in usu et dispositione bonorum dependentiam necnon cessionem saltem administrationis proprii patrimonii.

§ 2. Nisi, ad normam Constitutionum, fiat renuntiatio bonorum patrimonialium acquisitorum et acquirendorum, sodales tenentur testamentum condere et, intuitu secutuae professionis, de usu et usufructu suorum bonorum libere disponere.

§ 3. Quae vero propria industria, stipendio vel pensione a sodalibus acquiruntur Instituto cedunt.

Canon 96

Oboedientiae ad exemplum Christi professio plenam Dei voluntatis dedicationem secumfert in submissione Moderatoribus, Dei vices gerentibus, praestanda in spiritu fidei et amoris secundum determinationem iuris universalis et Constitutionum.

Canon 97

Communitas religiosa habitare debet in domo legitime constituta, quae domus propriam habeat ecclesiam vel oratorium in quibus Eucharistia celebratur et asservatur ut vere sit centrum communitatis.

Caput I
DE INSTITUTIS MONASTICIS

Canon 98

Instituti monastici nomine venit Institutum religiosum cuius sodales, secundum proprias eiusdem Instituti traditiones, morum conversione vitam vel anachoreticam vel coenobiticam ducunt in Dei opere et labore, ut solum Deum Eiusque Regnum rerum divinarum contemplatione et caritate apostolica quaerant.

Articulus 1
DE MONACHIS

Canon 99

Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium intra septa monasterii praestare.

Canon 100

§ 1. Instituta monastica quae integre ad contemplationem ordinantur praeclaram in Christi Corpore mystico partem semper retinent et Ecclesiam arcana foecunditate ditant; ideo quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, in suo statu firmiter permaneant.

§ 2. Instituta autem quae aliqua apostolatus vel christiana caritatis opera legitime assumpserint, iis tantum incumbant quae vitae monasticae indoli consentanea sint.

§ 3. Instituta monastica per se nec clericalia nec laicalia sunt.

Canon 101

§ 1. Domus religiosa monachorum sub proprii Moderatoris regimine et cura, quae monasterium appellatur, de se sui iuris est, servatis tamen Constitutionibus.

§ 2. Monasterii sui iuris Moderator, qui plerumque nomine Abbatis venit, est de iure Moderator maior.

Canon 102

§ 1. Monasteria eiusdem familiae monasticae in foederationes, hae vero in confoederationem, uniri possunt cum beneplacito Apostolicae Sedis.

§ 2. Quaelibet foederatio aut confoederatio proprio regitur iure, salva tamen semper monasteriorum autonomia.

Canon 103

Instituta propriam de sodalium tam monastica quam sacerdotali institutione rationem habeant.

Canon 104

§ 1. 1°) Transitus a monasterio ad aliud eiusdem familiae monasticae vel regulae fieri potest de consensu utriusque Moderatoris cum voto

deliberativo capituli monasterii recipientis, salvis semper Constitutionibus.

2º) Professio tamen monastica non iteratur, nisi aliud in Constitutionibus expresse caveatur.

§ 2. Ceteri transitus iure universalis reguntur.

Articulus 2

DE MONIALIBUS

Canon 105

§ 1. Moniales, illustrior portio gregis Christi, in iure veniunt quae ex instituto vitae contemplativae dedicantur.

§ 2. Quae sunt de monachis statuta pari iure monialibus applicantur.

Canon 106

Monasteria monialium cuidam virorum Instituto consociata vitae rationem et regimen proprium iuxta sua statuta obtinent. Expedit tamen ut ab Instituto cui consociantur spirituali cura adiuventur ad propriam vocationem prosequendam.

Canon 107

§ 1. Clausura papalis in monasteriis monialium quae unice vitae contemplativae vacant servanda est.

§ 2. Statuta clausuram papalem spectantia ab unoquoque Instituto determinata a Sede Apostolica probanda sunt.

§ 3. Cetera monasteria clausuram propriae indoli accommodatam et in Constitutionibus definitam servent.

Caput II
DE INSTITUTIS OPERIBUS APOSTOLATUS DEDITIS

Canon 108

§ 1. In Institutis operibus apostolatus deditis actio apostolica ad ipsam eorumdem naturam pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu Instituti informetur.

§ 2. Actio apostolica ex intima cum Deo unione semper procedat eamdemque confirmet ac foveat.

§ 3. Actio apostolica, nomine et mandato Ecclesiae exercenda, in communione ecclesiali peragatur.

Canon 109

Opera propria Institutorum fideliter retineantur atque temporum et locorum necessitatibus accommodentur, novis et opportunis etiam mediis adhibitis.

Canon 110

§ 1. Vi propriae vocationis, Instituta operibus apostolatus dedita eorumque sodales, sub ductu proprietum Moderatorum, ad bonum Ecclesiae adlaborare et Episcopos adiuvare tenentur.

§ 2. Episcopi et Moderatores, sive singuli sive in coetibus coadunati, collatis inter se consiliis procedant in ordinandis operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur.

Canon 111

§ 1. Instituta ius habent opera propria exercendi, servatis de iure servandis.

§ 2. Conventiones particulares ad collaborationem ordinandam et fovendam, Episcopi et Moderatores pro opportunitate ineant.

Articulus 1

DE INSTITUTIS CANONICALIBUS

Canon 112

§ 1. Instituta canonicalia sollemniori praecipue cultu laudem divinam agunt atque operibus apostolicis incumbunt sacerdotale officium praesertim in paroeciis exercendo.

§ 2. Ad vitam regularem fovendam eis pro posse paroeciae concredantur quae inter se vel domui principali viciniores sint.

Canon 113

Congregari possunt sub eodem Praeside plura Capitula canonicorum regularium sui iuris; confoederari autem possunt sub Abbe Primate plura eiusdem generis canonicorum Instituta cum beneplacito apostolico.

Articulus 2

DE INSTITUTIS CONVENTUALIBUS

Canon 114

§ 1. Instituta conventualia laudi divinae et regularibus observantiis vitam apostolicam intime consociant atque peculiare austерitatis vitae testimonium praestant.

§ 2. Vitam fraternalm in communi sodales agunt, praesertim in celebratione Eucharistiae et liturgiae horarum, necnon ministerium apostolicum communi studio et sollicitudine prosequuntur.

Canon 115

§ 1. Speciali cura adiuent Instituta sibi consociata ut genuino spiritu suae familiae imbuantur.

§ 2. Per proprium apostolatum sodales spiritum Instituti inter christifideles diffundunt praesertim per suas associationes.

Articulus 3
DE INSTITUTIS APOSTOLICIS

Canon 116

§ 1. Instituta apostolica, ad propria ministeria exercenda primario condita, totam suam vivendi rationem ita ordinant ut sodales vitam apostolatui integre deditam agere valeant.

§ 2. Ad mobilitatem apostolicam et sodalium disponibilitatem fo-vendam, ea unitas servetur qua Institutum sub ductu Moderatoris Supremi ad normam Constitutionum in operibus propriis peragendis ex-peditum maneat.

Canon 117

§ 1. Clericalia Instituta ministeria sua in sacro ordine exercendo fideliter adimpleant; alia autem opera apostolica, nisi sint Instituto propria, aliis idoneis quoque laicis committantur.

§ 2. Sodales laici, in his Institutis, vi professionis suae, speciali titulo commune fidelium sacerdotium exercentes cum clericis collabo-rando, ea prae ceteris assumant officia quae hanc collaborationem foveant.

Canon 118

Laicalia Instituta, tum virorum tum mulierum, per misericordiae opera spiritualia et corporalia munus pastorale Ecclesiae adimplent hominibusque diversissima praestant servitia; quare in sua vocationis gratia fideliter permaneant.

TITULUS II
DE INSTITUTIS VITAE APOSTOLICAE CONSOCIATAE

Canon 119

Instituta vitae apostolicae consociatae, sive sacerdotalia sive laicalia, quae religiosa non sunt, suum finem apostolicum per vinculum fraternitatis sustinent atque secundum propriam vitae rationem consilia evan-gelica aliquo sacro vinculo firmata assumunt.

Canon 120

Vita fraterna ita ordinata sit ut activitatem apostolicam praeparet et constanter foveat atque adiuvet.

Canon 121

Statuta personalem conditionem sodalium circa bona temporalia definiant et accommodatas normas statuant quae eorum usum moderentur, attenta in fraternitate aequalitate sodalium.

Canon 122

§ 1. Ordinariis locorum sodales reverentiam et oboedientiam prae-
sent in his quae activitatem apostolicam spectant, salvis semper indole
Instituti et subiectione erga proprios Moderatores.

§ 2. Sodales horum Institutorum tanquam clerici adscribuntur ipsi
Instituto; qui vero eorum, exceptionis gratia ad normam Constitutionum,
Ecclesiae particulari incardinati sint, ab Ordinario huius Ecclesiae depen-
dent, sed in iis quae ad vitam consecratam, immo et ad vitam internam
Instituti, pertinent subsunt Instituti Moderatoribus et munera in Insti-
tuto sibi commissa assumere tenentur.

TITULUS III
DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

Canon 123

§ 1. Instituta saecularia, per professionem in saeculo trium consi-
liorum evangelicorum aliquo sacro vinculo firmatam, veram et comple-
tam formam vitae consecratae in Ecclesia constituunt.

§ 2. Sodales horum Institutorum in saeculo et ex saeculo propriam
consecrationem in actuositate apostolica exprimunt et exercent atque, ad
instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu
evangelico imbuere satagunt.

Canon 124

Haec Instituta lege vitae communis non tenentur neque ullum consecrationis signum deferre obstringuntur sodales, qui in temporalibus vitae rationem christifidelibus congruentem iuxta propriam cuiusque conditionem servant.

Canon 125

Constitutiones cuiuslibet Instituti, attentis peculiaris eius natura et vivendi ratione necnon saecularitate eidem propria, obligationes et proxim consiliorum evangelicorum apte determinent atque definiant.

Canon 126

§ 1. Instituta saecularia esse possunt clericalia vel laicalia.

§ 2. Sodales clericorum horum Institutorum, ad normam Constitutionum, tanquam clericorum adscribuntur ipsi Instituto aut incardinantur Ecclesiae particulari pro qua promoti sunt; quo in ultimo casu ab Ordinario huius Ecclesiae dependent, salvis iis quae vitam consecratam in proprio Instituto respiciunt.

INDEX

Praenotanda	v
Canones praeliminares generales	1

PARS PRIMA

DE IIS QUAE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE SUNT COMMUNIA

Titulus I - De Institutorum eorumque partium constitutione	3
Titulus II - De Institutorum dependentia ab Ecclesiastica Auctoritate	5
Titulus III - De Institutorum regimine	8
Titulus IV - De Institutorum bonis temporalibus eorumque administratione	12
Titulus V - De admissione in Institutum:	13
Articulus 1 - De requisitis ad candidatos recipiendos	13
Articulus 2 - De nuper receptorum institutione	15
Articulus 3 - De cooptatione in Institutum	17
Articulus 4 - De cooptatorum institutione	19
Titulus VI - De Institutorum eorumque sodalium obligationibus	19
Titulus VII - De separatione ab Instituto:	21
Articulus 1 - De transitu ad aliud Institutum	21
Articulus 2 - De egressu ab Instituto	22
Articulus 3 - De dimissione ab Instituto	23
Articulus 4 - De conditione iuridica separatorum ab Instituto	25

PARS SECUNDA

DE IIS QUAE SINGULIS INSTITUTORUM GENERIBUS SUNT PROPRIA

Canones praeliminares	27
Titulus I - De Institutis religiosis	28
Caput I - De Institutis monasticis:	29
Articulus 1 - De monachis	29
Articulus 2 - De monialibus	31
Caput II - De Institutis operibus apostolatus deditis:	32
Articulus 1 - De Institutis canonicalibus	33
Articulus 2 - De Institutis conventionalibus	33
Articulus 3 - De Institutis apostolicis	34
Titulus II - De Institutis vitae apostolicae consociatae	34
Titulus III - De Institutis saecularibus	35
